DE

TUMORIBUS CORDIS TUNICATIS

DISSERTATIO

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT

SUMMI SIBI IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CONCEDANTUR

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS ARNDT

BEROLINENSIS

DIE XXVIII M. JUNII A. MDCCCXVII.

BEROLINI,

TYPIS HAYNIANIS.

Commilitonibus

S.

Quod mihi proposui de morbis cordis commentariolum qualecunque conscribere, nescio an et supervacaneum et magis etiam temerarium existimari possit, quum tot et tantorum virorum contentione doctrina illa his ipsis temporibus quasi ad lucem revocata, et mirum quantum illustrata sit. Quare non id mihi agendum fuit, ut quod de horum morborum causis et diiudicatione et curatione tam egregie traditum est, iterum pertractarem; sed nonnulla tantum ex iis addere volui, quae in corporibus dirissimo fato defunctis plus semel reperta, et minus accurate definita sunt; quo

mihi, quae de aneurysmatis et hydatomatis aliisque cordis tumoribus dixi, videntur pertinere. Ceterum ad vestram indulgentiam confugio, commilitones, vosque oro, ut libellum hunc animo benevolo accipere ne dedignemini. Valete.

De

Tumoribus cordis tunicatis Dissertatio.

Caput primum.

De tumoribus tunicatis eorumque natura, origine, sede varia.

§. 1.

Tunicati omnes ii tumores nominari merentur, qui involucro membraneo undique clauso, nec prius exstante, sed una cum illis genito, materiam quandam continent, a cuius varietate varia ipsi nomina acceperunt. Ita iam *Celsus*,[1]) *Galenus*,[2]) *Aëtius*,[3]) *Paulus* [4]) [5]) tria eorum genera commemorant, *meliceridès*, *atheromata*,

1) De Medic. Lib. VII. cap. 6. init.

2) De Tumorib. cap. 5, de Method. med. Lib. II. cap. 2. med. et Lib. XIV. cap. 12, ubi eos inter abscessus refert.

3) Tetrabibl. II. Serm. III. cap. 83.

4) De Re medic. Lib. IV. cap. 34, Lib. VI. cap. 36, qui quanquam et ipse eos abscessibus adnumerat, in eo tamen ab his differre dicit, quod ἀποστήματα οὐκ ἰδίῳ ὑμένι περιέχεται ἤτοι χιτῶνι.

5) His addas Ioannem Actuarium de Method. med. Lib. II. cap. 12, et Nicolaum Myrepsicum de Composit. medicam. Sect. XL. cap. 16. Plinius autem in Hist. natur. duorum tantum generum mentionem facit, meliceridis, Lib. XXI. cap. 20. in fin., et steatomatis, Lib. XXVI. cap. 14, 87. med.

steatomata: lipomata autem primus, quod sciam, *Litterus*,[6]) in distinguendo fortasse nimis subtilis, ab his internoscit; quibus tamen haud absurde, credo, tum *hydatomata*, [7]) tum quae illis origine et indole plane similia sunt, *aëromata* [8]) addi possunt.

Sed praeter illam, quam diximus, hos inter tumores diversitatem, iam altera obtinet. Etenim tunica magis minus crassa, eademque aut simplici, aut duplici, aut triplici induti sunt, aut qua intus reversa tumoris cavum in plures saepe cellulas dividitur.

Denique *recentiores* [9]) tumores hos modo *testudines*, modo *talpas*, modo vix Latine *lupias* vocant, magis fortasse a qualicunque harum rerum similitudine, quam aliam ob rationem. *Ganglia* vero, quanquam in eundem errorem iam *veteres* [10]) inciderant, tunicatis tumoribus non sunt adnumeranda, quia non proprio ipsorum involucro, sed tendinum vaginis includuntur.

§. 2.

Omnes autem hi tumores, praeter tunicam in eo quoque inter se conveniunt, quod *ex parvulo incipiunt, et diu paulatimque increscunt*, [11]) et cum partibus corporis, quibus adhaerent, immo

---

6) Littre in Hist. de l'Acad. de Paris an. 1709. p. 22, 23.

7) Quod Boerhaave et Sauvages, Nosolog. method. T. I. p. 205 ed. Daniel. minus apte hygroma appellant, quum hoc nomen tumorem liquore quodam plenum, sed non pariter naturam liquoris indicet, a nostro hydatomate differt; propius ad id accedit hygroma Callisenii; vid. Syst. Chirurg. hod. T. II. p. 113 ed. 4.

8) Pneumatosis saccata Frankii; vid. de curand. hom. morb. Epit. Lib. VI. Part. I. p. 54, 55.

9) Bertrandi de Tumorib. §. 383. Veteribus, quod sciam, hoc discrimem ignotum fuit.

10) Celsus l. l. Reliqui ganglion a tumore tunicato aliquo modo distinguunt; vid. Paulum l. l. Lib. IV. cap. 16, Lib. VI. cap. 39; Aëtii Tetrabibl. IV. Serm. III. cap. 9. Alios omitto.

11) Celsus l. l.

sese immergunt, et quarum imperio quantumvis liberi suo quasi ingenio indulgere videantur, communi saltem vinculo coniuncti sunt, quum ab his vasa sua, ab his nutrimentum accipiant, ab his solum ipsum, in quo radicantur. An nervis praediti sint, quis dicat? Tamen qui alias omni fere sensu carent, eos tum vehementer dolere, quum aliquo stimulo excitantur, aut corripiuntur inflammatione, nemo certe ignorat.

Sed ut illi vitam degunt parasiti, sic et alios, qui quidem haud parasitorum mos, intra se recipere ipsos, *Philoxenus* [12]) auctor est; hic enim animalia se aliquando, culicibus aut muscis parvis similia, in humore condita reperisse dicit; quod tibi veteris chirurgi testimonium, si cogites alios quoque tumores, ut *aneurysmata*, [13]) animantia alere et fovere, non omnino contemnendum erit. Quo pertinent quodammodo etiam sacci illi variae magnitudinis, vesiculis pleni: *hydatomata cystigena* nominarim, inter tunicatos tumores iis locum vindicans: qui in iecinore et liene et ven-

---

12) Vid. Aëtii Tetrabibl. IV. Serm. III. cap. 7. init. De atheromatis autem sermo fit, in quibus Leonides corpuscula quaedam lapidosa, et alia tanquam sulphuris ramenta, et velut mansa gallinarum ossicula, et aliquando pilos crassissimo humore complicatos deprehendisse traditur; cf. Galen. l. postr. l, et Ambros. Pareum in Opp. p. 216 ed Paris. 1582.

13) Aneurysmata verminosa vocantur, sive tuberculosa, quia ex tuberculo arterias, mesentericas imprimis, insidente, in quo vermes varii, strongyli vel armati vel trigonocephali insunt, ortum capiunt; vid. Rudolphi Entozoor. Hist. natur. Vol. I. p. 437. sq. et l. ibi l.; quibus addas Schulzium in Act. natur. curiosor. Vol. I. obs. 219. Quae aneurysmata in canibus et equis haud ita rara, in homine nunquam inventa fuisse mireris, quandoquidem in hoc quoque similes tumores, et nonnunquam vere tunicati, et inter arteriarum membranas positi nascendis aneurysmatis ansam praebent; vid. Kreysig d. Krankh. d. Herzens Th. II. Abth. I. p. 367. sq., 391. sq.; Corvisart Essai sur les maladies du coeur p. 312 ed. 2. Sed non in arteriis tantum inveniuntur tubercula illa, a vermibus habitata, verum etiam in oesophago ventriculoque canis, et, teste Treutlero, in hominis pulmone, similiterque in aliis aliorum animalium partibus; vid. Rudolphi l. l.

tris capacitate et sub ipsa cute [14]) inveniuntur, quum animalia infimi ordinis esse vesiculae istae [15]) haud temere existimentur.

§. 3.

De *origine* horum tumorum variant medicorum sententiae, quarum praecipuas hic persequi non alienum a consilio nostro videbitur.

Nonnulli [16]) enim ex *glandulis* innumeris minutissimisque eos repetunt, quae totidem folliculos referunt, succum oleaceum vel muco similem emittentes; de quibus una non raro vel plures, si humor iste liberum exitum non invenerit, in dies augeantur, donec in miram adoleverint magnitudinem. Sed non omnes illos tumores hoc modo nasci, inde intelligitur, quod in iis etiam apparent locis, in quibus, ut in cerebro, tales glandulae hucusque nullae repertae sunt. Quibus argumentis illi [17]) quoque refutari possunt, qui eos sibi persuadent ex *bulbis pilorum* vel *saccis tendinum muciferis* ortum ducere.

Itaque *alii* [18]) cogitarunt de *textu celluloso*, per corpus latis-

---

14) Vid. Luedersen in Diss. de hydatidibus p. 14, 15, 16, 30, 31.

15) Luedersen l. l. p. 73, 74; acephalocystides Laennecii eas esse vult, quo iure nescio. Rudolphi l. l. Vol. II. Part. II. p. 249, 367 ad echinococcos revocat. Olfers denique Comment. de Veget. et Animat. P. I. p. 13 cum corporibus, quae vocat, vegetativis in una eademque classe collocandas esse censet, quod dubitem, siquidem haec partibus, quas sibi sedem elegerunt, adnascuntur, illae vero ab omni cum his coniunctione liberae manent; cf. Baillie Anatom. d. krankhaft. Baues interpr. Soemmering. p. 136, Himly ophthalm. Bibl. B. III. St. 3. p. 158.

16) Swieten in Comment. in Boerhaavii Aphorismos T. 1. p. 165 ed. Lugd. Batavor. 2.

17) Callisen l. l. p. 104. Leurs cum Gesschero atheromata in tres species partitur, prout ex glandulis vel cutis, vel textus cellulosi, vel ex seriferis glandulis oriantur; vid. Samml. auserlesner Abhandl. B. XVIII. p. 180. sq.

18) Haller in Element. Physiol. T. I. p. 20, 21.

sime patente, cuius septula, ubi humor limpidus et pingue, quo abundat, in cella una alterave maiori copia collecta fuerint, hac ipsa undique distenta, vicinisque compressis ac sensim deletis, non modo inter se glutinentur, sed in membranam coalescant densissimam: quod equidem non video, quomodo pressione sola possit effici. [19]) Quid si ea causa, qua plus humoris in unius cellulae cavum congeritur, et hoc impletur atque ampliatur, sive illa in vasorum exhalantium vi nimia, sive in resorbentium tarditate posita sit; eadem tenerrimo cellulae involucro vel plus nutrimenti addat, vel minus detrahat, quo ipsum crassescat? Quid si materia quaedam extra sanguinis circuitum derelicta et in concretionem prona, nescio quo, in follem convertatur? [20]) Qui semel formatus quantum includit humoris ipse sibi suppeditat. Atque is humor modo liquidus, modo lentescens, non raro, ut quidam volunt, mora et quiete in pulticulam vel adipem cogitur, ut mihi videtur, talis iam ab initio ex sacci parietibus exsudat.

Alii [21]) denique tumores tunicatos una cum reliquis ex *textu celluloso* nascentes faciunt, sed in eo ab his diversos, quod quem reliqui humorem foris effundunt, eum ipsi intra sinum suum colligant atque condant. Quod quanquam verum esse concedo, mul-

---

19) In hanc sententiam egregie disputavit Bichat allgemeine Anatomie interpr. Pfaff. Th. I. Abth. I. p. 180. sq.

20) Nonnunquam tumores illos, eos praecipue, qui ventris et pectoris capacitatem occupant, affectui harum partium ad inflammationem propius accedenti ortum debere, verisimile fit. Sic Kreysig l. l. Th. II. Abth. II. p. 855 eos non raro a pleuritide natos existimat. Bruegmanns autem in diario: Reil's Archiv f. Physiol. B. III. p. 484. sq. ter vel quater in medio iecinore et liene invenit globum tumori tunicato simillimum et materia purulenta circumfusum, quacum eandem crediderim originem habuisse. Alium tumorem tunicatum fundo vesicae urinalis adhaerentem, cum intestinorum conglutinatione et praegressae inflammationis vestigiis, describit Theune in Diss. de Tum. tunic. interno p. 7, 8. Vid. Richter spec. Therap. B. III. p. 123, 124.

21) Bichat. l. l.

tum tamen abest, ut rem ipsam et tunicae originem illustret, quum praesertim tot inveniamus tumores, qui vario humore referti, neque eo magis tunicati sunt.

§. 4.

Illos autem tumores in singulis fere corporis partibus repertos esse, constat. Sic *hydatoma* non solum *interiores, iecur,*[22]) *lienem,*[23]) *renes,*[24]) *pulmonem,*[25]) *ipsum cerebrum*[26]) infestat, sed ne *exteriori-*

---

22) Hydatoma iecinoris permagnum describit Caldesius; vid. Morgagni de Sed. et Caus. morb. Epist. XXXVIII. art. 37. init.

23) Alterum lienis Mauchart ibid. Epist. XXXVI. art. 18 sub fin. Alios omitto. Vix Latine haec hydropes saccati vocantur.

24) Plura horum exempla inter alia hydatidum prodit Morgagni, l. l. Epist. XXXVIII. art. 39 — 42; quae mihi quoque se obtulerunt: nam, ut in uno consistam, quum aliquando renem sinistrum hominis tabe pulmonum exstincti inciderem, illico aquae subflavae insipidae sescuncia inde profluxit, quam capsula ovi gallinacei magnitudine, et renis parenchymati arcte adhaerens intra se receperat.

25) Capsulam membraneam percrassam, et aqua plurima ad uncias circiter sex impletam in utroque pulmone invenit Maloët Hist. de l'Acad. de Paris an. 1732. p. 25. sq.; in dextro similem Dietrich Archiv d. prakt. Heilk. f. Schlesien ed. Zadig et Friese B. III. St. 2. p. 164. Tubercula vero pulmonum, de quibus Hippocrates loquitur de intern. Affect. cap. 25. init. ed. Linden., certe nihil aliud fuerunt, quam hytatides, quod contra Frankium l. l. p. 259 hic monendum est. Humorem limpidum in pulmone pluribus locis stagnantem, et tunica fere tendinea undique inclusum, tum ipse semel vidi, tum etiam Senac tale quid, ni fallor, aliquoties se reperisse dicit; vid. Traité de la structure du coeur Lib. IV. cap. 3, no. 4. Hos autem pulmonum tumores Lieutaud in Histor. anat. medic. T. II. p. 115 ed. Paris. lymphaticos nominat; Boerhaave in Aphorism. §. 1220 vomicas hydropicas; Swieten in Comment. ad h. l. et Michaelis in Diss. de Aneurysm. cord. p. 40. vomicas aquosas.

26) Wepfer in Boneti Sepulchr. Lib. I. Sect XV. obs. 4. ita narrat: dilatato amplius ventriculo cerebri dextro occurrit abscessus ovi gallinacei magnitudine, peculiari tunica, crassitie pennae columbinae, vestitus. Inciso hoc folliculo aqua turbida subflava effluxit. Alium huius generis tumorem vidit Riverius ibid. Sect. XXII obs. 20; et similem maiorem Borellus ibid. Sect. I. obs 46. De reliquis

bus quidem parcere, quum ex *chirurgorum* [27]) scriptis patet, tum *Boerhaavius* [28]) nobis testis est. *Aëroma* vero, cui nuper nomen indidit *Frankius*, [29]) quodque distinxit accuratius, iam dudum plus semel visum esse arbitror, quum tumores illi tunicati, qui vacui ab *auctoribus* [30]) habiti sunt, haud dubie huc pertineant.

De reliquis hic disserere supervacaneum est.

§. 5.

Iam de *hydatidibus* breviter dicamus. *Cystes* [31]) vel *chalazas* [32])

---

ibid. l. modo l. §. 2. et obs. 61, Sect. VII. obs. 5, Sect. XI. obs. 8. §. 3, Sect. XVIII. obs. 2, non satis constat, utrum hydatomata fuerint, an hydatides. Quae vero tum a Soemmeringio in adn. 538 ad Baillie l. l. p. 254, tum a Voigtelio Handb. d. pathol. Anat. B. I. p. 615. n. 16 hoc titulo enumerantur, haec magna ex parte vel steatomata sunt, vel melicerides, vel atheromata, vel abscessus tunicati cerebri, non hydatomata. Lieutaud hos cerebri tumores cysticos appellat, l. l. p. 194.

27) Callisen l. prius l.

28) Swieten Comment. T. II. p. 635. Ad hydatoma referendum est genus hydatidum septimum Luedersenii l. l. p. 86, 87.

29) Epitome l. pr. l.

30) Richter Anfangsgr. d. Wundarzneyk. B. I. §. 485. med. ed. 3.

31) Apud Aretaeum ita est: *κύστιες σμικραὶ, συχναὶ, πλήρεες ὑγροῦ ἐγκέονται τῷ χωρίῳ, ἔνθα ὁ ἀσκίτης ξυνίσταται*, de Caus. et Sign. morb. diut. Lib. II. cap. 1. sub fin.

32) Vid. Aristotel. de Animal. Hist. Lib. VIII. cap. 21. med.; Rufum medicum in Oribasii Collect. Lib. IV. cap. 2. med.; Archigenem in Aëtii Tetrabibl. IV. Serm. I. cap. 120 sub fin.; Aristophan. Equit. vers. 374 et Scholiast. ad h. vers. Χάλαζα veterum est nostrum Finne, cysticercus cellulosae Rudolphii. Hinc tumores quosdam palpebrarum nomen traxisse, notum est.

eas vocant *veteres*, quibus tamen nec *hydatidum*[33]) nomen, quo sensu nunc eo nomine utimur, prorsus ignotum fuit. [34])

Sunt vesicae undique clausae, maiores, minores, a pisi ad pugilli magnitudinem, et ultra; ex quibus aliae [35]) a vermibus habitantur in capsula pellucida, tanquam fetus in amnio, [36]) innatis; aliae, [37]) ovulis irritis seu hypenemiis similes, animali germine orbatae sunt; omnes autem in tunica saepius simplici, nonnunquam duplici, semper vero satis tenui, neque cum partibus, quascunque insidet, tam arcte cohaerente, quin ab his tota possit facile revelli, humorem aquosum recondunt. Quibus cancellis si hydatidum notionem circumscribere velis, inanimatas etiam tum ab hydatomatis, ut quae et solidiore cum circumpositis partibus nexu et involucri crassitudine differant, tum ab reliquis tumoribus tunicatis materiae, quam continent, diversitate poteris discernere. [38]) Neque

---

33) Paulus l. l. Lib. VI. cap. 14. ita quidem tumorem palpebrarum aquosum vel pinguem appellat: item Galenus pluribus locis, ut unum afferam, Method. med. Lib. XIV. cap. 19. med. Hesychius autem et Suidas hanc vocem *σταγόνες* interpretantur. Tamen Galenus in Comment. ad Hippocrat. Aphorism. VII. 55. init. diserte dicit: *ἐπιτηδειότατόν ἐστι τὸ ἧπαρ ὑδατίδας γεννῆσαι κατὰ τὸν ἔξωθεν αὐτῷ περικείμενον ὑμένα. Φαίνεται γοῦν ἐπὶ τῶν σφαττομένων ζώων ἐνίοτε μεστόν.*

34) Swietenium l. l. T. I. p. 165; Camperum in diario: Samml. auserlesner Abhandl. B. XVI. p. 501; lexicographos recentiores hoc fugit.

35) Genus primum et tertium Luedersenii l. l. p. 38, 77. sq. cf. Rudolphi in Commentariolo de hydatidibus, anat. physiol. Abhandl. p. 197. sq.

36) Vid. Himly Beschreibung des Finnenwurms in diario: Journal d. prakt. Heilkunde ann. 1809, fasc. 12. p. 132.

37) Genus quartum Lueders. l. l. p. 79. sq.; Rudolphi l. modo l. p. 194, 195. Genus quintum et sextum Lueders. l. l. p. 82 et 84 huc non pertinent.

38) Clarus in Quaest. de partib. pseudorg. p. 24 etiam aliud hydatides inter et tunicatos tumores discrimen statuit; hos enim ait continuo crescere, donec nimia eorum mole functiones corporis vitales intercipiantur, illas vero, ubi ad certam magnitudinem pervenerint, aut novas hydatides generare, aut ipsas mori. Quod magis ratione, quam experientia inventum videtur.

que tamen semper vesicae illae, quae a corporis natura genetrice et moderatrice, lasciviente praesertim, et perinde ac tunicati tumores lymphae coagulatione, [39]) originem acceperant, primam utique indolem retinent, sed ab hac vario modo aberrantes, non raro in alienam meliceridum, atheromatum, ceterorum videntur abiisse.

Quibus vero corporis locis inveniantur, dicere longum est, quum vix ullus sit, a quo absint. [40])

Caput alterum.

De tumoribus capsulae cordis tunicatis.

§. 6.

Tumorum tunicatorum in capsula cordis nascentium exempla dubia magis, quam rara sunt. Primus *Galenus* [41]) in simiae pericardio tuberculum vidit plenum liquore simili, ut in hydatidibus inest, quarum tamen numero et ipsum adscribendum esse, haud temere suspiceris. Atque idem prope *medicus Lusitanus* [42]) Graeci, quem diximus, auctoritatem secutus, se testatur in homine reperisse; sed is, quod ad certiorem rei cognitionem facere possit, nihil magnopere attulit. Neque aliter de *Lancisio* [43]) iudicandum est, in fundo pericardii abscessum inveniente, ex quo disrupto melleus emanavit humor; qui quidem utrum inter septum transversum involucrumque cordis, vel involucri huius inter laminas

---

39) Vid. Veit über d. Entsteh. d. Hydatid. in Reil's Archiv f. Physiol. B. II. p. 494., Rudolphi l. modo l. p. 196.

40) Luedersen l. l. p. 7 — 32.

41) De Loc. affect. Lib. V. cap. 2 med. Sunt eius verba haec: *ἀποθανόντος δ᾽αὐτοῦ (πιθήκου) τὰ μὲν ἄλλα πάντα μόρια τοῦ σώματος ἦν ἀπαθῆ, ἐπέκειτο δὲ τῷ περικαρδίῳ χιτῶνι παρὰ φύσιν ὄγκος ὑγρὸν ἐν ἑαυτῷ περιέχων ὅμοιον τῷ κατὰ τὰς ὑδατίδας.*

42) Zacutus in Boneti Sepulchr. Lib. II. Sect. VII. obs. 110.

43) De Aneurysm. Lib. I. propos. 5. in tractatû de Motu cordis et Aneurysm. p. 105. ed. Lugd. Batav.

collectus fuerit, quippe quum *alii* [44]) aquae et puris et adipis his locis stagnantium exempla prodiderint; an vera meliceris sit habenda, vix definire ausim. Tumor vero pericardii sanguineus, qualem a dextris cordis secundum totam eius longitudinem extensum conspexit *Albertinus*, [45]) fortasse nihil aliud fuit, quam sanguinis effusio vel inter menbranae laminas, vel in textum cellulosum circa eam positum: idemque de eo valet, quem in pericardii latere, ubi ad costas spectat, *Faius* [46]) deprehendit. Sic etiam, *Meckelio* [47]) auctore, materia sebacea inter cor et eius involucrum accumulata fuit, quod mirum est *Kreysigio* [48]) imposuisse, ut steatoma diceret.

§. 7.

Hactenus de iis pericardii tumoribus, qui tunicatorum specie

---

44) Ita Portal Cours d'Anat. méd. T. III. p. 5. Rém. 1. pluries magnam adipis copiam, semel aquam inter septum transversum et pericardium invenit; item semel hanc, saepius illam inter pericardii laminas ibid. p. 11. Rém 2. et p. 17., Lieutaud l. l. Lib. II. obs. 628 A. De pure hic consistente refert Stoerck Ann. med. II. p. 255. Simili modo et dura cerebri membrana vel aquam: cf. Baylly in Boneti Sepulchr. Lib. I. Sect. II. obs. 45, Zacutum ibid. Sect. XVI. obs 15, et Frankium l. l. p. 164: vel lympham crassiorem inter laminas recipit; vid. Herteli Diss. de Cerebri tumorib. §. 15. Valvulae autem mitralis laminas inter se disiunctas et in saccum distentas vidit Morand Hist. de l'Acad. de Paris an. 1729. p. 14; item Morgagni l. l. Epist. XXIII. art. 6 et 7. med.

45) Morgagni l. l. Epist. XXIII. art. 23 init.

46) De la Faye in Hist. de l'Acad. de Paris an. 1735 p. 20, 21.

47) Meckel avus in Hist. de l'Acad. de Berlin an. 1755 obs. 7 et 8 p. 81, 82; et prope idem tradunt Portal l. l. p. 17, et Bonetus in Medic. septentr. Lib. II. Sect. XIX. cap. 6.

48) l. l. Th. II. Abth. II. p. 635. Quae vero alia horum tumorum profert exempla, ea nec apud Bonetum, nec apud Boerhaavium ullo loco invenio; vid. ibid. Abth. I. p. 566. Sprengel autem in Testae interpretatione: über die Krankheiten des Herzens p. 82. illum tumorem vernaculo vocabulo nuncupat Fettgeschwulst.

fallere possunt: ceteros vero, duros, nodosos, sebaceos, glandulosos, quorum *Galenus*, [49]) *Hallerus*, [50]) *Hornius*, [51]) *Balleius*, [52]) *Luchtmannus*,[53]) alii[54]) mentionem faciunt, hoc loco omittam, nisi quod pro steatomatis passim venditatos esse, indicandum obiter videtur.

De *hydatidibus* autem huic membranae infensis, quoniam sedem in cordis recessibus rariorem, frequentioremque multo inter cor et pericardium habent, tum tandem disseremus, quum de cordis ipsius hydatidibus sermo fiet.

Caput tertium.

De tumoribus cordis tunicatis.

§. 8.

De tumoribus cordis tunicatis explicaturo mihi pauca de alio tumorum genere praemittenda sunt, quod quamvis diversum medicos non raro quadam similitudine decepisse, iam *Kreysigius* [55]) monuit; *aneurysmata* dico, tam *vera*, quam *spuria*. [56]) Ita quem

---

49) l. modo l. Galli pericardium, inquit, duro tuberculo affectum erat, perinde ac si plures crassae membranae involutae alia alii fuissent.

50) in Opp. minor. T. III. p. 365.

51) Archiv f. prakt. Medizin B. III. H. 1. p. 58.

52) Baillie l. l. p. 7. Tumores scrofulosos pericardii appellat.

53) Luchtmanns in diario: Samml. auserlesner Abhandl. B. XVII. p. 219. Tam cordis quam pulmonum involucrum nodis sebaceis obsitum vidit; cui simile quid in peritonaeo deprehendit Meckel Hist. de l'Acad. de Berlin an. 1753. p. 104. sq.

54) Bourru in Hist. de l'Acad. de Paris an. 1763 p. 35.; Lieutaud l. l. Lib. II. obs. 707 et 840.; Carl Bell's Zergliederung des menschlichen Körpers B. I. p. 191.

55) l. l. Th. II. Abth. I. p. 367.

56) Utraque sacciformia; nam universum cordis ventriculum vel atrium, sive dextrum, sive sinistrum sit, aequabiliter dilatatum non aneurysmatis nomine nuncupo. Scarpa quidem esse verum arteriarum aneurysma negat, spurium tantum

Walterus [57]) inter steatomata numerat cordis tumorem, eum *Rudolphius* [58]) ostendit merum esse aneurysma, ex imo ventriculo sinistro enatum, qui in saccum parvi citrei capacem et sanguinis coagulo refertum extenditur, idque illaesa membrana cordis interna. Quare hoc aneurysma et illi, quod *Walterus* [59]) ipse alias, et alteri, quod *Balleius* [60]) post eum diligentius examinavit, omni modo comparandum est; a quibus tamen longe distat aliud a *Corvisarto* [61]) repertum, tum altiore situ: nam in summo fere ventriculo sinistrum versus positum est: tum ipsius cordis fissura, tum aditus angustia, qui ex ventriculo ad cavum tumoris patet.

Nec tantum nostra aetate innotuerunt tales cordis tumores, sed a maioribus iam plane similes, nomine licet alieno, significantur. Horum enim generi attribuenda est vesica illa satis magna, et sanguine atro plena, et dextro ventriculo affixa, quam vidit *Traf-*

---

agnoscens, in quo, disrupta intima et media arteriarum membrana, sanguis per fissuram exstillans cellulosum involucrum in tumorem attollit; vid. eund. über d. Pulsader-Geschwülste interpr. Harles. cap. 5, 6 et 7. Tamen Harles nuper vera aneurysmata arteriis vindicavit, sed illa tantum, quae Sauvages l. l. p. 202. ed. Daniel. cylindroidea appellat, in quibus arteriae canalis per totum ambitum distenditur; ea vero, quae ab uno alterove arteriae latere insurgunt, illaesis membranis internis, nonnisi per breve tempus et in ipso morbi initio talia persistere, mox in spuria mutari, et ipse sibi persuasum habet; vid. adn. ad Scarpam p. 305 in fin. et 306. init., et Kreysig. l. modo l. p. 370. sq. Verum utut haec sunt, id profecto mihi extra omnem dubitationem positum videtur, in corde aneurysmata tam spuria quam vera eademque sacciformia inveniri, quum illud, quod Walter steatoma nominat, ad vera, alterum a Corvisarto accuratius definitum, ad spuria pertineat.

57) Vid. Museum anatom. No. 675. P. I. p. 88.

58) Vid. Kreysig l. prius l.

59) Mémoires de l'Acad. de Berlin an. 1785. p. 64. §. 18 et 19. Tab. IV. fig. 1.

60) l. l. p. 14, et A series of Engravings Fasc. I. Pl. 3. fig. 1. ed. 2.

61) l. l. p. 272, 273.

felmannus. [62]) Huc referendum, quod *Haenius* [63]) narrat, sinistram auriculam fuisse aliquando in folliculum productam, qui intestini vermiformis magnitudinem haberet; et quod huic simile tradit *Bartholinus.* [64]) Corpus autem illud partim membraneum, partim carnosum, et idem cavum, et auriculis cordis annexum, et sanguinem fibratum adustumque continens, de quo *Puerarius* [65]) loquitur, nonne ad aneurysmatis imaginem [66]) accedit?

Haec certiora sunt horum tumorum in ipso corde exempla: neque enim cum *Corvisarto* [67]) mihi persuadeam, esse aneurysma, de quo *Gantius* [68]) scribit, quum hoc tantum dicat, humorem quendam faeculentum inter cor et eam membranam constitisse, quae a pericardio ad illud pertinet, quo ipsa pluribus tuberculis minoribus unoque maiore emineret; quumque huic raro utique invento fidem afferat *Burnius,* [69]) qui fere idem prodit, et in eo tantummodo diversum, quod humor natura fuerit serosiore, et per totum cordis ambitum diffusus.

---

62) Boneti Sepulchr. Lib. III. Sect. XVII. obs. 1.

63) De Haen Rat. med. P. IX. p. 38.

64) In Boneti Sepulchr. Lib. III. Sect. XXI. obs. 3. §. 10 et 11. Ita narrat: dextra auricula, circa venae arteriosae orificium, aneurysmatis modo, ultra iuglandis magnitudinem erat distenta.

65) Boneti Sepulchr. Lib. II. Sect. VIII. obs. 30, ibid. Sect. XI. obs. 1.

66) Vid. Kreysig l. l. p. 379, 380; Corvisart l. l. p. 274. Meckel nepos autem illum tumorem inter excrescentias cordis refert; cf. Diss. de Cord. condit. abnormib. §. 35; unam eandemque rem bis memorans, perinde ac si diversa sit, quod in sequentis paragraphi fine iterum ei contigit.

67) l. modo l.

68) Gante in Boneti Sepulchr. Lib. II. Sect. I. Addit. obs. 2. Omnium, inquit, superficies aequalis et laevis erat, omnes quippe constitutae erant ex productione membranae propriae cordis, nullis fibris carneis interius donatae.

69) Burns von einigen der wichtigsten Herzkrankheiten interpr. Nasse p. 132.

§. 9.

Sed ut aneurysmata, ita alii quoque cordis tumores, quas hodie *scrophulas* vocant, hic percensendi sunt.

Scio equidem, *viro summo* [70]) has in cerebro nuper invenienti ea de causa maxime repugnari, quod glandulae, ex quibus oriuntur, neque hic conspicuae sint, neque, ubi sint, per media viscera proserpant: [71]) tamen in universa illa corporis labe etiam cerebrum suo modo tentari omnibus constat. Neque minus cor inde detrimenti capit, quod non raro in massam prorsus sebaceam degenerat. [72]) Atqui innumeras canaliculas seriferas per cordis ambitum discurrere, notum est, quae si quando modo in hac, modo in illa parte, ut in tanta harum rerum vicissitudine fieri potest, [73]) inter se implicatae in glandulam forte coïerint, quid tandem hanc prohibet aeque ac reliquas aegrotare? An glandula una alterave semper hic adest, sed tantae parvitatis, ut visum fugiat, nec nisi intumuerit, oculis percipiatur? [74]) Sunt enim inter exempla, quibus, quum ex tabe periissent, plurimaeque ex seriferis glandulis fuerint insigniter auctae, simile tuberculum etiam cordis nunc basin nunc mucronem invaserit: quod de puella quinquenni *Gallicus auctor*, [75]) de alia natu maiore *Heurnius*, [76]) de puero duodecim annorum *Hildanus* [77]) tradentes ipsa aegrotorum aetate, quo illi morbo laboraverint, declarant. Quodsi vel in hoc a me dissentias, tumores illos esse glandularum, id profecto mihi concedes, esse tu-

---

70) Reil de scrofulis cerebri in Memorabil. clin. Fasc. III. p. 39. sq.

71) Hertel in Diss. l. §. 3 et 4.

72) Vid. Kreysig l. l. Th. I. p. 181 — 189.

73) Vid. Kruikshank Beschreib. d. einsaugend. Gefäſse interpr. Ludwig. p. 127.

74) Bichat l. l. Th. I. Abth. II. p. 347.

75) Lieutaud l. l. Lib. II. obs. 545.

76) Boneti Sepulchr. Lib. IV. Sect. I. obs. 15. §. 13.

77) Ibid. Lib. III. Sect. XXI. obs. 47.

mores cordis, qui communem cum istis originem habeant. Nam et aliud quodvis corpori ingenitum virus, ut carcinomatis omnium dirissimum, non modo foris se convertere, sed intus etiam clanculum grassari, quum iam pridem multi comperere, tum novissime *Abernethius* [78]) in homine talibus tumoribus per totam cutem defoedato, in quo alii similes iecur et lienem et intestina et pulmonem et ipsum cor obsidebant.

Attamen utut haec sunt, certe suspicari licet, tumores illos pro liquoris diversitate, quem intra se nonnunquam colligunt, ab harum rerum minus peritis steatomatum vel atheromatum vel meliceridum nomine esse nuncupatos; quod miror etiam *Portalo* [79]) accidisse. [80])

§. 10.

Verum a proposito huius libelli nescio an nimis longe digressi, redeamus iam in viam. *Tunicatos* igitur *cordis tumores*, tunicatis aliarum partium quanquam numero inferiores sunt, tamen, si generum varietatem spectes, his non omnino postponendos censeas; neque enim ab hoc vitae sacrario plane exsulant, qui aliis locis tam laete proveniunt. Sic *hydatoma cordis* fortasse iam noverat *Bartholinus*, [81]) cui cor bubulum incidenti sese obtulit abscessus pomi magnitudine, et carni cordis dextri penitus insidens, et sero turgidus, quod duplex tunica, exterior crassa et cartilaginea, interior

---

78) Abernethy medic. chirurg. Beobacht. interpr. Meckel. p. 34, 35. Illos tumores ipse sarcomata nodosa appellat, ceteri a scirrhis non distinguunt.

79) l. l. p. 74. Ita dicit: d'autres fois, au lieu de vraie graisse, on trouve dans le tissu cellulaire du coeur de vraies tumeurs scrophuleuses; ce sont alors des steatomes, des atheromes ou des méliceris, comme les ouvertures de corps m'en ont souvent fait voir, et de divers volumes.

80) De aliis tumoribus in corde inventis, quibus varia nomina indidere, referunt Blandini in Boneti Sepulchr. Lib. II. Sect. VII. obs. 56; Varthon ibid. obs. 132; Kerkring ibid. Addit. obs. 9; Lamont ibid. Sect. VIII. obs 34; Martini ibid. Lib. III. Sect. XXI. Addit. obs. 60; Columbus apud Morgagnum l. l. Epist. XXV. art. 25. init.

81) Boneti Sepulchr. Lib. II. Sect. VII. obs. 112.

tenuis et mollis undique includebat. Alterum *cordis hydatoma Morgagnus* [82]) curiosius pertractavit: hoc enim mediocris cerasi magnitudine et figura, a postica sinistri ventriculi facie, intervallo gemini digiti transversi supra mucronem, dimidium foris prominebat, dimidium intra carnem cordis se immittebat. Erat et ipsum duplici similique atque illud tunica vestitum, humorem continens partim aquosum, partim mucosum ac turbidum. Tertium *cordis hydatoma* in *Museo Meckeliano* [83]) servatur, a proximo superiore non nisi in eo differens, quod interior tumoris tunica in plures alias sectilis, exterior nonnullis punctis osseis interstincta est.

Post haec nominatur *meliceris* cordis, quam in corde bubulo sibi repertam *Walterus* [84]) tabula ahenea delineatam dedit. Eam sinistri ventriculi apicem infestasse, et foramine parvulo extrinsecus fuisse perviam, pulticulaque quadam refertam, ob quam *atheroma* dixerim, ex ipsa descriptione affatim liquet, nec amplius quidquam. Neque de *steatomate*, [85]) quod indicat in corde puellae subita morte peremptae apud mucronem in conspectum venisse, accuratius disputatur. Quod vero *Fantonus* [86]) filius in valvula cordis bipartita plures tunicatis similes tumores, *Forlanus* [87]) unum in aortae valvulis deprehendisse se perhibent, dubitatio existit, an fuerint excrescentiae fungosae, quae nonnunquam tumorum tunicatorum formam mentiuntur. [88])

§. 11.

---

82) l. l. Epist. XXI. art. 4.

83) Vid. Meckelii Diss. l. §. 84. med.

84) Mémoires de l'Acad. de Berlin an. 1785. p. 65 §. 21. Tab. 4. fig. 2.

85) l. modo l. p. 64, 65. §. 20.

86) Vid. Morgagni l. l. Epist. XXIII. art. 13. med.

87) Forlani in Rar. obs. med. pract. Dec. I. p. 70.

88) Vid. J. u. C. Wenzel über die schwammigen Auswüchse auf der äufsern Hirnhaut p. 41. Nam excrescentias fungosas durae cerebri membranae infensas illis non dissimiles esse, quae in ipso corde reperiuntur, neminem fugiet, qui utrasque inter se comparaverit. De illis vid. Wenzel l. l. p. 36. sq.; harum vero exempla inve-

§. 11.

Nuper denique *Duputrenius* 89) in dextro cordis atrio immodice dilatato, ut reliquo cordi amplitudine par esset, parietes vero pollicis crassitudinem aequarent, ex his ipsis enatos et membrana atrii interiore obtectos plures vidit tunicatos tumores, atrii capacitatem fere totam implentes, de quibus alii iuglandis, alii avellanae erant magnitudine, omnesque involucro tenero induti, et liquore subfusco turgidi, in quo flocci nonnulli albuminis spissitudine, colore tamen in fuscum vergente subsidebant.

---

invenis apud Meckelium in Diss. l. §. 35. 36, et Kreysigium l. l. Th. II. Abth. I. p. 360. sq.; quibus addas Stegmannum in Boneti Sepulchr. Lib. II. Sect. I. Addit. obs. 32; Dentandum ibid. Sect. VII. obs. 78; Vesalium ibid. Sect. IX. obs. 2; Riolanum ibid. Sect. XI. obs. 5. § 2; Mangoltum ibid. Lib. III. Sect. XXI. obs. 4. §. 11; Testam l. l. p. 314. Alios omitto. Quas excrescentias, si interiores cordis partes occupent, et in maiorem adoleverint magnitudinem, non immerito pro veris polypis haberi, Meckel demonstrat l. modo l. §. 42. in fin. et §. 52; eodemque fere modo polyporum originem Kreysig explicat l modo l. p. 107, 396. sq.

89) Dupuytren, Journal de Médecine Vendém. an. XI, Oct. 1802. Ita narrat: une femme âgée d'environ quarante ans, d'une stature élevée, et d'une belle conformation, mourut. La tuméfaction des lèvres, leur couleur rouge et livide, l'injection des vaisseaux de la face fesaient déja soupçonner une maladie du coeur. Une leucophlegmatie générale occupait tout le tissu cellulaire souscutané. Les membranes séreuses qui revêtent les ventricules du cerveau, les parois du thorax, celles de l'abdomen étaient le siége d'autant d'hydropisies. Le péricarde contenait à lui seul une pinte de sérosité.

Le coeur était d'un volume médiocre. Ses cavités gauches, les vaisseaux qui en sortent, ou qui s'y rendent, étaient dans leur état naturel, et les deux ventricules d'un volume semblable. L'oreillette droite avait à elle seule un volume égal à celui de trois autres cavités réunies, et offrait à l'extérieur une dureté et une tuméfaction assez uniformes. A l'ouverture de cette cavité, on trouva ses parois épaisses d'un pouce, formées supérieurement d'une matière jaunâtre, faiblement consistante, ayant l'apparence de la graisse, quoiqu'elle n'en contînt pas un atome, et qu'elle fût composée presqu'entièrement d'albumine. Inférieurement elles contenaient une substance rouge et d'apparence fibreuse. Toutes ces matières provenant de la désorganisation des parois de l'oreillette, étaient exactement ren-

Atque hic aliquid de *eo tumore* exponendum est, quem ex thesauris olim *Walteriani*, nunc *Regii musei* [90]) Rudolphius mihi benignissime suppeditavit. Est cordis bubuli, cuius sinistrum apicem occupat. Diversissimae inter se particulae, aliae cartilagineae, aliae osseae, nonnullae natura membranea, plurimae sebacea, varie permixtae et acervatim compactae hunc tumorem praebent, qui altitudine unciali eademque fere latitudine, utrinque in cacumen desinens, ovi gallinacei figuram non male imitatur. Tunica vero, qua illa moles involvitur, lineae est crassitudine et in duas laminas divisa, quarum altera exterior fibris cordis carnosis arcte annectitur, nec membranam eius externam nisi in parte postica et ima contingit; altera interior tumori ipsi incumbit, et intus perreptare videtur; utraque textus cellulosi tenuissimo strato continetur.

---

fermées entre ses membranes interne et externe. De la face interne et du côté droit de l'oreillette s'elevaient plusieurs kystes recouverts par une membrane lisse. Ils flottaient dans la cavité de l'oreillette, qu'ils remplissaient presqu'entièrement. Le plus petit avait un pouce de diamètre, et le plus grand, engagé dans l'orrifice ventriculaire de l'oreillette, en avait deux dans sa plus grande étendue, et un et demi seulement dans le sens opposé. Chacun d'eux avait des parois épaisses d'un millimètre, une cavité isolée et remplie d'un liquide brunâtre, opaque et inodore, qui laissait précipiter par le repos une matière brunâtre sous forme de flocons albumineux. Tous étaient recouverts par la membrane interne de l'oreillette, et s'étaient développés dans le tissu cellulaire. Les veines caves supérieure et inférieure, repoussées en arrière par la tumeur de l'oreillette, ne communiquaient avec elle que par un orifice étroit; elles étaient distendues ainsi que leurs branches par une grande quantité de sang noir, que la maladie de l'organe empêchait certainement de rentrer dans sa cavité. Toutes les autres parties des cavités droites du coeur étaient dans l'état ordinaire. Celles du côté gauche offraient une diminution remarquable sans désorganisation. Les poumons pressés par l'eau contenue dans les plevres n'étaient pas gorgés de sang.

L'examen détaillé des autres parties du corps n'a fait découvrir aucune autre lésion, à laquelle on puisse attribuer la mort de cette femme.

90) Vid. Museum anatom. No. 1086. P. I. p. 163, et tabulas huic libello nostro adiectas.

§. 12.

Superest, ut de *hydatidibus cordis* mentionem iniiciamus.

Inter cor et pericardium hydatides invenit *Persius*, [91] item *Cordaeus*, [92] item *Ballonius*; [93] tum *Fantonus* pater, [94] *Rolfinkius*, [95] *Thebesius*; [96] deinde *Heuermannus*. [97] Numerosissimas eas *Testa* [98] reperit vel cordi undique, vel auriculis adhaerentes; in basi cordis *Portalus*; [99] unam a mucrone pendentem iterum *Fantonus*, [100] post eum *Morgagnus*; [101] alterius quasi ruptae vestigium *eidem* [102] apparuit in postica cordis facie; de minore pericardio affixa *Steinbuchius* [103] tradit. Vesiculam autem succo quodam subamaro plenam conspexit *Kerkringius* [104] apud arteriae magnae radicem, aliam in externa cordis cute *Bartholinus*. [105] Ne-

---

91) Boneti Sepulchr. Lib. III. Sect. XXI. obs. 21. §. 6.

92) Ibid. §. 14.

93) Ibid. Sect. XXXVII. obs. 3. §. 12

94) Ibid. Lib. IV. Sect. XII. Addit. obs. 12.

95) Ibid. Lib. II. Sect. VIII. obs. 6.

96) Morgagni l. l. Epist. XVI. art. 44. med.

97) Physiologie Th. I. p. 202, et Commentar. Lipsiens. prim. Dec. Suppl. I. p. 164.

98) l. l. p. 64, 67, 277. Quas vero in alio corde invenit hydatides, ibid. p. 278, eas nihil aliud fuisse opinor, quam vasorum seriferorum varices, ad genus quintum Luedersenii pertinentes; cf. Lueders. l. l. p. 82., Rudolphi anat. physiol. Abhandl. p. 193.

99) l. l. p. 29, 74.

100) Morgagni l. modo l.

101) l. l. Epist. XXV. art. 15.

102) l. l. Epist. III. art. 26 in fin.

103) Commentat. de Taen. hydatig. anomal. p. 5. Luedersen autem l. l. p. 11 omnia confundit; nam quae Schenckii et Boneti auctoritate narrat, non alia sunt, quam quae Morgagni ex Cordaeo, Ballonio et Fantono hausit.

104) Boneti Sepulchr. Lib. II. Sect. VII. Addit. obs. 9.

105) Ibid. Sect. IV. obs. 3.

que interiores cordis partes ab illis tutae sunt; vesiculas duas hydatidum speciem referentes *Trotterus* [106]) deprehendit prope arteriae pulmonariae ostium, plurimasque hydatides *Wepferus* [107]) intra cor suillum, post hunc *Rudolphius*, [108]) et idem proxime in femina quum innumeras per corpus universum sparsas, tum tres in dextro cordis ventriculo positas, easque *animales;* [109]) quae quanquam fortasse iam pridem in corde humano visae sunt, tamen, propter pristinam harum rerum incuriam earumque naturam minus cognitam, nunc demum nobis innotuerunt.

---

106) Samml. auserlesn. Abhandl. B. XVII. p. 105.
107) Boneti Sepulchr. Lib. IV. Sect. III. Addit. obs. 26 adn. 5 med.
108) Bemerk. a. d. Gebiete d. Naturgeschichte B. II. p. 62.
109) Cysticercos cellulosae Rudolphii.

Ad tabulas.

Tab. I. Cordis bubuli partem inferiorem repraesentat, ingenti tumore obsessam.

Tab. II. Idem cor extremis lineamentis adumbratum.

A. Facies plana cordis transversim discissi.

B. Aditus ad ventriculum dextrum.

C. Aditus ad ventriculum sinistrum.

D. D. Membrana, qua cor extrinsecus obducitur.

E. Mucro cordis.

F. Cor sinistrum et tumor ipse in longitudinem incisus.

G. G. Fibrae carnosae, quae corde inciso in conspectum veniunt.

a. Pars tumoris sinistra.

b. Pars tumoris dextra.

c. Tunica tumorem vestiens.

d. d. Tunicae lamina exterior.

e. e. Eiusdem lamina interior.

f. f. Textus cellulosus inter utramque positus.


g. g. g. g. Squamae osseae,

h. h. h. h. Massa sebacea,

i. i. Particulae nonnullae membraneae,

k. k. Aliae cartilagineae, quae in medio tumore inveniuntur.

Tab: I.



Tab: II.

